



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Oratio Panegyrica Habita In Sacra Aede B. Mariae  
Aspricollensis Ipso Festo Assumptionis ejusdem Die**

**Venne, Franziskus vanden**

**Mechliniae, 1663**

Alexander Papa VII

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12159**

# ALEXANDER PAPA VII



D PERPETUAM REI MEMORIAM.

Excelsa meritorum insignia, quibus gloriissima Cæli Regina Dei Genitrix Virgo MARIA Immaculata, quasi Stella Matutina resulget, intra pectoris nostri arcana devoutæ considerationis indagine recolentes, dignum arbitramur & congruum, ut ejusdem Sacraissimæ Virginis Ecclesiam Aspri-Collis seu Montis-Acuti nuncupatam, Mechliniensis Diœcesis, quam dum in minoribus constituti munere Nuntii Sedis Apostolicæ in Partibus inferioris Germanicæ, conciliandæ inter Reges & Principes Christianos pacis ergo fungebamur, verabundi adivimus, & ubi sacrosanctum Missæ Sacrificium celebravimus: aliquo Pontificiæ nostræ liberalitatis munere decoremus. Motu itaque proprio, ac ex certa scientia & mera liberalitate nostris, deque Apostolicæ Potestatis plenitudine, eidem Ecclesiæ S. MARIAE Aspri-Collis seu Montis-Acuti, Tapetem Dilectis Filiis Præposito & Presbyteris Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, ipsius Ecclesiæ Rectoribus, à dilecto etjam Filio, Hieronymo, Abbe S. Mariæ Montis Regalis, nostro in Belgio Internuntio, tradendum & consignandum pure liberè & simpliciter, ac donatione pura simplici liberâ & irrevocabili, quæ fieri dicitur

inter

inter vivos perpetuo valitura, & alio omni, quo possumus meliori & validiori modo, tenore praesentium damus, concedimus & clargimur, ac ut Tapes hujusmodi perpetuo ibidem conservetur, præfatis Præposito & Presbyteris, ne eundem Tapetem, quovis praetextu, causa, & occasione, quibusvis Ecclesiis, Monasteriis & locis piis, ac personis quibuslibet, ad quemcumque usum commoda-re, vel precariò concedere, & alias quomodolibet extra-here, distrahere & alienare, seu ut commodetur, concedatur, extrahatur, distrahatur vel alienetur permittere au-deant seu præsumant, sub interdicti ingressus Ecclesiæ, quoad Congregationem, & excommunicationis latæ sententiæ, quoad singulos Presbyteros præfatos penitentia per contrafacentes eo ipso, absque alia declaratione incur-rendis, perpetuo prohibemus. Non obstantibus constitu-tionibus & ordinationibus Apostolicis, et jam quatenus opus sit illa Fel. Rec. Pii PP. IV. Prædecessoris Nostri, de gratiis qualecumque interesse Cameræ Apostolicae concernentibus, in eadem Camera presentandis & re-gistrandis; ita ut præsentes litteras ibidem præsentari & registrari numquām uiceesse sit, ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, Die 17. Aprilis. 1662.

PONTIFICATÙS NOSTRI ANNO SEPTIMO.

S. Uginus.